

reddere negaverit et exinde aliud confugium fecerint, pro unoquoque fugitivo auri solidi septuaginta duo componantur.

12. — Et hoc statuimus de fugitivis, de quibus constat ad eos iudices vel loca ipsi fugitivi fugerint, quod si dubium fuerit et denegaverint iudex et actor loci illius, in quo liberi et servi requiruntur, tunc praebent sacramentum duodecim electi, quod ibi nec suscepti fuerint nec illos habeant, nec in conscientia eorum sit, nec aliquas res eorum secum habuerint. Si autem hoc distulerit facere post primam et secundam contestationem, praesentia testium peracta, per iussionem iudicis sui liceat eum pignerare hominem de ipso loco, ubi causa requiritur, ita tamen ut ipsum pignus post peractam iustitiam in integro reddatur, et nullatenus liceat alicui per alia loca pignus accipere, nisi ubi fugitivi aut causa requiritur, aut pignoretur, et si pigneratio pervenerit, [non presumat alia pars pro pignere aliam pignerare, sed expectet ad audiendum ita sane ut cause in sex mensium spatio fiant et sint finite cause, reddens prius quod ex iuditio condemnatus fuit], et pignus suum recipiat. Si autem infra sex menses proposuerit ipse iudex aut alia persona, qui pignus tulit, iudicium habere, post transactos illos sex menses in duplum iudex loci illius omni modo ipsa pigneraria reddat. Nam, si quis de alio loco pignus tollere praesumpserit, aut sine causa tulerit, vel aliquem pro pignere pignerare praesumpserit, in duplo, quod tulerit, restituat.

13. — Si vero equi vel equae aut armamentum aut aliqua quadrupedia fuerint ablata aut semet ipsa aberraverint, modis omnibus parti vestrae redditantur. Quod si post primam et secundum contestationem minime redditia fuerint, tunc perveniat pigneratio de loco, ubi hoc requiritur, usque dum pars parti satisficiat, et post satisfactionem ipsa pigneraria reddantur.

14. — *Et hoc stetit ut si fugitivi seu res redditiae fuerint et per sacramentum satisfactio adimpta fuerit, modis*